



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Bernardini Scardaeonii Patauini Presbyteri de Castitate Libri Septem**

**Scardeone, Bernardino**

**Venetiis, 1542**

Adhortatio ad spem ueniae promerendae cap. xv

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30433**

DE SACRIS VIRG.

facto Heraclii imperatoris, qui quum Christianorum legibus uiueret, Fabia tamen uxore defuncta Martinam fratris filiam contra uis, fasq; duxit: atque etiam tulit legem, qua deinceps per eum idē omnibus liceret: quo circa hunc ipsum tali cladis genere affectum perhibet, ut folliculo testium sursum uerso, uirilicq; membro femper distento, melere non posset, quin lotio uultum respergeret, nisi obiecta prius tabula foret, quæ urinæ ascensum reprimeret. Quod morbi genus omnes affirmabant ei ob illicitas nuptias, atque impiam legem diuinitus obtigisse, ut & alios exterreret à simili frœditate paranda, & ut ipse in eo quo peccauerat torqueretur. Sed ad rem nostram redeamus.

Adhortatio ad spem ueniæ promerendæ. Cap. XV.

**G**Rauiâ profecto sunt, quæ in ultionem tanti flagitii sanxerunt leges, sed longe grauiora, atq; atrociora censenda, quæ parauit Deus, & quæ saltē non euadent, quicunq; humanarum legum pœnas euaserint. Iudicia namq; hominum plæruncq; eludi, ac falli possunt: at iudicium Dei est prorsus infallibile, atque inuitabile omnino. O te miserum & infœlicem, si non intelligis dum iudicia hominum fallis, te magis magisque reum fieri, atq; cito fore, ut, ex eo q; hic impune tuleris, atrocius puniaris: quando nihil ibi transit impune: ubi idem erit iudex accusator, & testis. Quid tunc miser facies: ubi te abscondes: sistendum sanè est tibi coram illo, qui cuncta uidit, cui nihil occultū est, qui nouit omnia: & ideo subductis ibi scelerum tuorum rationibus, ipsi tibi sustinendum est, quicquid pœnarum impiis paratum fuerit. Verum enim uero tam mitis, ac benignus, & clemens est, quem offendisti, ut facile possis, modo uelis agnoscere peccatum tuum, & respiscere, ad huc redire in gratiam, & ueniam impetrare peccatis. Nihil

## LIBER PRIMVS.

23

est q̄ dubites eum ipsum dominum, quem irritasti peccato, placare p̄nitentia: & quem infernum tibi reddidisti per impudicitiam, reconciliare eundem rursus tibi posse per continentiam. Qui enim comminatus est p̄nitentiam peccanti, idem etiam promittit ueniam supplicanti. Nemo sane sic suæ ipsius salutis audus est, q̄ dominus alienæ: ideo assidue clamat in prophetis. Nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur, & uiuat. Quare nisi tu differas conuersionem, non est cur desperes reconciliationem: quoniam ubi abundauit peccatum, super abundauit, et gratia. Age queso ne cœcutias diutius in tanta luce ueritatis. Alleva tandem oculos, & cognosce creatorem, & redemptorem tuum, & age p̄nitentiam: atq̄ assumpta fiducia ueniæ cum mœrore conscientie reseca cuncta reuacacula consuetudinis prauæ, quibus teneris præpeditus, ac teipsum ad initium melioris uitæ componæ: & miserebitur tui Deus: quia benignus est, et misericors; & placabilis super malitiã. Audi quid dicat Ezechiel propheta. Impietas, inquit, impii non nocebit ei, in quacunque die conuersus fuerit ab impietate sua. Cæterum quoniam quicquid ad sacras uirgines attinere uisum est nobis satis diximus, deinceps altero libro de cœlibatu dicemus.